

septa significatio: duplicia nobis pro duorum fœderum, & temporum exhibet signa: Veteris quidem Testamenti signa σημεῖα: Lex enim umbram tantum habuit & figuram futurorum bonorum, hoc est, Carnis & sanguinis Domini: Novi verò Testamenti signa διαδόχεια ἢ προσφερόμενα, exhibentia & conferentia ipsum corpus & sanguinem Dominicum.

30. Patet ex his, quæ hæctenus sunt disputata, quænam vera sit signi & Signati ratio: nimirum, si signum pro toto sumatur Sacramento, utraque videlicet eius parte, tam cœlesti & invisibili quàm terrena & visibili: tùm signatum non esse partem Sacramenti (alioqui enim pars & totum idem forent): Sed signati rationem obtinere, ipsum usum ac fructum Sacramenti proprium ac proximum, qui pars Sacramenti οὐσολογὴ minimè est: sed extra eiusdem substantiam aersatur

31. Exemplo rem illustremus: Si Sacramentum Cœnæ Dominicæ totum ac integrum, Signi appellatione notetur: iam signatum, non erit Corpus & Sanguis Domini: Sic enim statuerentur, externa Elementa integrum Sacramentum constituere: ut quæ signent, nos Corpore & sanguine Dominico vesci: id quod Calvinisticum est delirium: Sed signatum erit, Spiritualis manducatio & coalitio cum Christo: quæ ipsam Sacramenti Eucharistici substantiam non consti-